

(2. *Natura possibilitatis intrinsecae*: Possibile igitur proprie dictum consistit in realitate illa, qua intrinsecus res aliqua constituitur, et nihilo essentiae opponitur; habet enim realitatem sibi propriam in ordine metaphysico et existentiam idealem in ordine logico, quia certe in mente aliqua, saltem divina, existit. Non tamen confundendum est cum ente rationis, quod etiam ipsum in mente existit, sed tantum in mente existere, neque per se concipi potest; possibile autem existentiam extra mentem accipere potest, et est terminus positivus cognitionis, quia per propriam entitatem cognoscitur.

3. Possibile autem intrinsecum potest iterum considerari *formaliter* et *fundamentaliter*. *Formaliter* consideratum est realitas aliqua metaphysica, quae saltem a divina mente cognoscitur et per causam efficientem produci potest, ut actu existat. *Fundamentaliter* consideratum est ratio ultima possibilitatis eius intrinsecae, et haec est divina essentia, cuius est imitatio. Possibile formaliter spectatum tandem considerari potest concrete et abstracte. *Concrete* consideratum possibile significat ipsum subiectum seu rem illam, quae fieri potest, e. g. homo, statua; et hoc subiectum voce „possibile“ in recto significatur; *abstracte* consideratum significat formam possibilitatis, i. e. sociabilitatem notarum, quibus res intrinsecus constituitur, e. g. humanitas, constans ex animalitate et rationalitate, ratio artis in statua; et haec forma in obliquo per vocem „possibile“ significatur.

4. Quaeritur igitur: a) num possibilia habeant realitatem aliquam in se, et in quo eorum consistat ratio formalis intrinseca; b) unde habeant suam possibilitatem, sive quae sit *ultima* ratio possibilitatis.

Et quoad *primam quaestionem* duplex error est vitandus: Alii enim realitatem possibilium *exaggerantes* actualem quandam ipsis tribuunt realitatem, i. e. existentiam sive in se ipsis, sive in Deo: Thes. VIII et IX. Alii vero possibilium realitatem *diminuentes* ipsis nullam realitatem in se positivam concedunt, sed in quadam relatione collocant sive ad rerum existentiam, sive ad nostram cognitionem, sive ad Dei vel potentiam vel voluntatem vel intellectum: Theses X—XIV. Vera tandem sententia mediam tenens viam, docet possibilia habere aliquam realitatem sibi propriam, non tamen existentem, et in quo haec eorum ratio formalis intrinseca consistat, ostendit: Thes. XV.

Ad *secundam vero quaestionem* solvendam ostenditur, possibilia *ultimam* rationem possibilitatis habere in Deo, et hanc esse divinam essentiam; *proximam* autem in ordine ideali esse divinum intellectum: Thes. XVI et XVII.)

I. *Refutantur, qui exaggerant realitatem possibilium.*

Thesis VIII: Possibilia non habent realitatem actualem internam.

(*St. qu.* 1^o In thesi possibilia quoad suam intrinsecam possibilitatem spectantur, non quoad extrinsecam; deinde formaliter sumenda sunt, non fundamentaliter, et quidem tum concrete, tum abstracte.

Realitas actualis, quae possibilibus negatur, significat omnem rationem etiam diminutam *existentiae* et quidem existentiae in se propriae, subiectivae; non autem negamus eorum existentiam mere idealem in aliquo intellectu sive humano sive divino, neque fundamentalem in divina essentia.

2^o Adversarii thesisi sunt omnes Pantheistae, si volunt sibi esse consentanei, docentes res esse necessariam entis absoluti evolutionem; deinde *Platonici*,¹⁾ ideis tribuentes existentiam in se actualem praeter divinum intellectum, quibus accedunt *Neoplatonici* (praesertim Plotinus † 270 p. Chr.), ideis ex ente absoluto emanantibus et existentiam propriam et vim productivam adscribentes; idem dicendum est de Scoto Eriugena (saec. IX), necnon de Henrico Gandavensi († 1293)²⁾. Immerito vero haec sententia Duns Scoto tributa esse videtur. Eam iterum aliquo modo restauraverunt Hegel, ideis tribuens vim per processum dialecticum universum mundum producendi; deinde Schopenhauer et E. v. Hartmann somniantes, voluntatem absolutam sui inconsciam, quam statuunt, ideas omnes vel produxisse, vel in ipsa iam contentas propulisse, quibus ideis res effectae essent.)

Prob. 1. Ex natura possibilium: Possibilia sunt illa, quae non existunt, sed existere possunt. *Atqui* si possibilia haberent realitatem aliquam quamvis diminutam *actualem*, re vera existerent ac proinde fieri iam non possent, quod repugnat conceptui possibilis. *Ergo* possibilia nullam habent actualitatem in se.

(2. *Per exclusionem*: Possibilia, si haberent actualem in se realitatem, illam vel ex se haberent vel a Deo. *Atqui* neutrum admitti potest; nam a) non habent existentiam ex se; quidquid enim est ex se, est ens necessarium et infinitum; possibilia autem nullo modo sunt necessaria quoad *existentiam*, neque infinita quoad perfectionem, sed solus Deus; b) neque habent existentiam a Deo; nam eam haberent vel per *emanationem* ex divina essentia, vel per *modum creationis*. *Atqui* non per *emanationem*, quia tunc deberent esse partes essentiae divinae, Deus autem simplicissimus non habet partes, neque res sunt perfectionis divinae. Neque per *modum creationis*: 1^o quia ante creationem res aut erant possibiles, aut non; si primum,

¹⁾ Cfr. de his omnibus Stöckl, *Gesch. der Philosophie*, suis quaeque locis.

²⁾ Quem tamen de Wulf, *Histoire de la philosophie médiévale*, 1905², p. 390, excipit.

redit quaestio de possibilitate; si alterum, res non potuissent fieri. Ergo possibilium nullo modo creata sunt.

2^o Deus vel libere vel necessario possibilium creavisset. Atqui non libere creavit, quia possibilium ut possibilium sunt imitationes divinae essentiae ac proinde in se necessaria; non necessario creavit, quia liber est, et quia tunc omnia possibilium i. e. infinite multa existere deberent. Ergo nullo modo possibilium creavit.

3. Ex absurdis contra Pantheistas: Si possibilium qua talia haberent existentiam actualem, deberet existere, quidquid possibile est; nam a) ratio eadem est pro omnibus; b) in sententia Pantheistarum omnia fiunt necessitate absoluta et antecedente. Atqui possibilium omnia existere: a) repugnat rationi, quia possibilium sunt infinita, et infinite multa existere non possunt; et deberent tunc etiam contraria et sibi repugnantia existere, quae habent quidem, ut dicunt, simultaneam possibilitatem, non autem possibilitatem simultaneitatis, e. g. Petrum hodie vivum simulque mortuum esse; b) repugnat factis, quia omnibus persuasum est, multa fieri posse, quae non fiunt, et libere omnino se multa facere posse, quae non faciunt; deinde constat, omni momento novas fieri res, quae fieri non possent, si omnia possibilium iam existerent. Ergo possibilium non habent ullam existentiam actualem.

4. Ex falsa suppositione: Putant, possibilium cognosci non posse, nisi haberent actualem realitatem, quia cognitio requirat determinationem ex parte obiecti. Atqui haec ratio non probat; nam sufficit, ut possibilium in se sint cognoscibilia propter suam propriam realitatem metaphysicam. Sunt vero in se cognoscibilia: a) quia habent propriam realitatem, quae constituit comprehensionem conceptus nostri et perceptionem nostram saltem terminare potest; immo conceptus nostri abstracti et universales per se non exprimunt nisi res possibilium; b) quia de facto constat nos possibilium cognoscere, et multa omnino cognoscimus, quamvis indigeamus determinatione ab obiecto; nam ex conceptibus rerum existentium possumus alias res quamplurimas cognoscere vel abstrahendo a notis individuantibus rerum, vel novos omnino formando conceptus rerum in se possibilium. c) A fortiori Deus cognoscit possibilium, licet non existant; nam eius cognitio non pendet a determinatione ex parte obiecti, sed a sua ipsius essentia, a qua est determinatus ad omnia cognoscenda, quae in se cognoscibilia sunt. Obiecta igitur a Deo distincta non determinant, sed terminant eius cognitionem. Ergo possibilium tum a nobis, tum a fortiori a Deo cognosci possunt, quamvis non existant.

Obi. 1. Possibilium, nisi existerent, nihil de eis praedicari posset, dist.: ratione existentiae — conc.; ratione essentiae — nego.

2. Atqui neque ratione essentiae; nam quum non existant, non habent essentiam; dist.: physicam — conc.; metaphysicam — nego.

3. Atqui deberent habere physicam essentiam, ut possent determinare cognitionem, dist.: cognitionem divinam — nego; nostram, subd.: aliquando — conc.; semper — nego.

4. Atqui etiamsi solam terminant divinam cognitionem, debent in Deo existere; dist.: fundamentaliter in divina essentia, virtualiter in divina voluntate, intentionaliter in divino intellectu — conc.; formaliter — nego.)

Thesis IX: Possibilia realiter a Deo distinguuntur.

(St. qu. 1^o Possibilia in hac thesi iterum formaliter, non fundamentaliter intelligenda sunt tum concrete, tum abstracte.

2^o Realis distinctio est inter res, quae ante operationem mentis distinguuntur in se sunt distinctae, et haec distinctio realis est physica sive positiva, si res distinctae existunt: e. g. corpus et anima; est metaphysica sive negativa, si res possibilium inter se distinguuntur; physica simul et metaphysica seu positiva et negativa simul, si unus terminus distinctionis est positivus, alter possibilium, sive si res et eius negatio vel privatio, sive duae negationes vel privationes ab invicem distinguuntur. — In thesi affirmatur, possibilium a Deo distinguuntur realiter, sed distinctione physica simul et metaphysica sive reali negativa, quia possibilium non existunt.

3^o Thesis est contra Pantheistas, qui Dei essentiam formaliter et realiter inesse in omni re arbitrantur.)

Prob. 1. Ex natura possibilium: Possibilia formaliter sumpta sunt realitates metaphysicae, quae nullam habent in se existentiam seu actualitatem. Atqui si realiter cum Deo identificarentur, deberent habere actualitatem, i. e. existentiam; nam quidquid realiter in Deo est, existit; immo est actus purissimus neque ullo modo in potentia ad esse et non esse. Ergo possibilium formaliter sumpta realiter diversa sunt a Deo et ab eius essentia.

(2. Ex natura Dei: Deus est formaliter et realiter distinctus a rebus existentibus, e. g. hominibus, arboribus, lapidibus etc.; secus Pantheismus admitteretur. Atqui si possibilium essent realiter idem ac divina essentia, Deus non posset esse realiter et formaliter distinctus a rebus existentibus; nam homo existens est formaliter i. e. quoad essentiam idem numero, qui homo possibilium, statu solo distinctus; alioquin idem homo simul existens esset et non existens (possibilium). Ergo possibilium realiter differunt a divina essentia.

3. Ex absurdis: Si possibilium non essent realiter distincta a Deo: a) praedicata opposita Deo tribuenda essent; esset enim creabilis, sicut possibilium, et non creabilis, esset finitus et infinitus, spiritus

et materia, extensus et simplicissimus etc. *Atqui* hoc repugnat. *Ergo* . . .

b) Ut possimus cognoscere, quae res sit possibilis, quae non deberet adesse vel intuitio divinae essentiae sive potentiae sive intellectus, vel divina revelatio, quod et rationi et factis repugnat.

c) Pantheismus statueretur; nam si possibilis, e. g. lapis, bestia possibilis, realiter essent in Deo cum eius substantia identificata (nulla est enim, neque esse potest realis distinctio in divina essentia simplicissima), Deus dicendus esset lapis, bestia possibilis etc.; et si hae res crearentur, Deus fieret lapis, bestia existens etc.; et hoc modo Deus esset re vera realiter et formaliter idem cum omnibus rebus. *Atqui* haec assertio est aperte pantheistica. *Ergo* nisi possibilis realiter et formaliter differunt a divina essentia, Pantheismus statuitur.

Obi. 1. Possibilia non differunt a divina essentia, quia praedicata eius ipsis tribuuntur: aeternitas, necessitas, immutabilitas; dist.: positive — nego; negative — conc.

2. *Atqui* debent habere positivam in Deo realitatem; nam aut sunt aliquid in se, aut in rebus, aut in Deo. *Atqui* non sunt in se, neque in rebus. *Ergo* sunt in Deo.

Dist. mai.: secundum esse *physicum* — nego suppositum disiunctionis; secundum esse *metaphysicum* — conc.; dist. minor.: non sunt in rebus, neque in Deo — conc.; non sunt in se, subd.: physice — conc.; metaphysice — nego.

3. *Atqui* debent esse in Deo secundum esse formale; nam possibilis sunt, quia fieri possunt; non autem fieri possunt, nisi per Dei virtutem; dist.: tanquam per causam efficientem (possibilitas extrinseca) — conc.; quoad formalem rationem (possib. intrins.) — nego.

4. *Atqui* formaliter cum Deo identificantur; nam effectus non existit ante causam; dist.: physice — conc.; metaphysice — nego.

5. *Atqui* effectus continetur in causa; dist.: virtualiter — conc.; formaliter — nego.)

II. Refutantur, qui diminuunt realitatem possibilium.

Thesis X: Intrinseca rerum possibilitas non dependet ab existentia rerum finitarum.

(*St. qu.* 1^o Res in se quidem sunt possibles, ita ut in se ipsis cognosci possint, et re vera saltem a Deo cognoscuntur. Sed ab hac rerum possibilitate distinguenda est nostra possibilium *cognitio*. Haec enim acquiritur ex cognitione rerum existentium per modum abstractionis, unde *quoad originem* pendet a rebus existentibus, non autem ipsa rerum intrinseca possibilitas.

2^o Adversantur nobis *Pantheistae*, docentes, nil esse possibile praeter illa, quae existunt vel simul vel successive per essentiae divinae seu entis absoluti emanationem vel evolutionem. Teste

Aristotele¹⁾ haec erat sententia *Megarensium* (Diodorus Kronus²⁾), qui, sicut Eleates omne ens unum, ita omne ens bonum esse docentes, Pantheismum inde deduxerunt. — Idem debent statuere *Atomistae* docentes, res ab aeterno existere et omnia fieri necessitate absoluta.)

Prob. 1. *Ex conceptu possibilis* et quidem

A. *Ratione eius comprehensionis:* a) Possibile illud est, quod in se nullam habet repugnantiam ac proinde fieri potest, si causa efficiens proportionata adest. *Atqui* haec intrinseca non-repugnantia et causa efficiens (extrinseca possibilitas) evidenter praecedunt rerum existentiam et ab ea tanquam conditio necessaria supponuntur; impossibile enim fieri nequit; immo possibilitas et concomitatur et subsequitur rerum existentiam. *Ergo* possibilitas rerum non dependet ab earum existentia.

(b) Possibile in se praedicatur esse aeternum, necessarium, immutabile, universale. *Atqui* haec praedicata repugnant rebus, in quantum existunt; nam ut existentes sunt contingentes, mutabiles, periturae etc. *Ergo* rerum possibilitas non dependet ab earum existentia.

B. *Ratione extensionis conceptus possibilis:* Multa sunt in se possibilis, quae neque existunt, neque exstiterunt, neque unquam existent; immo quae hic et nunc ne possunt quidem existere, quia adest quidem simultanea possibilitas, sed non possibilitas simultaneitatis, e. g. Petrum nunc dormire et vigilare. *Atqui* si rerum possibilitas dependeret ab earum existentia, illae res non essent possibles. *Ergo* rerum possibilitas non dependet ab earum existentia.

2. *Ex absurdis:* Si rerum possibilitas ex earum existentia dependeret, nihil possibile esset, nisi quod et in quantum et eo modo, quo existit. *Atqui* a) hoc repugnat tum conscientiae et experientiae nostrae, tum persuasioni hominum; b) tunc periret scientia, quae est potius de rerum rationibus necessariis, universalibus, aeternis, non de rebus, in quantum sunt contingentes (e. g. mathematica). *Ergo* rerum possibilitas non pendet ab earum existentia; c) nulla iam esset distinctio inter possibile et impossibile; d) neque esset iam praemeditatio, neque consilium de rebus faciendis.

Obi. 1. Possibilia vocantur, quae existere possunt, impossibilia, quae existere non possunt; ergo pendent ab existentia rerum; dist.: possibilitas adaequata — conc.; inadaequata — nego.

2. *Atqui* possibilis etiam inadaequate pendent a rerum existentia, quia haec in ipsa possibilium definitione includitur; dist.: formaliter — nego; extrinsecus et per consequens — conc.

¹⁾ Metaph. XI, 3. ²⁾ Cfr. Stöckl, Gesch. d. Philos. I, 73.

3. Atqui in conceptu possibilium rerum existentia intrinsecus includitur, secus enim possible concipere non possemus; dist.: ratione modi cognitionis nostrae (abstrahendo a rerum existentia) — conc.; formalis ratio possibilis sine rerum existentia concipi nequit — nego.

4. Atqui concipi nequit; nam nulla re existente neque formalis ratio possibilis esse et concipi posset; dist.: nulla re *creata* existente — nego; Deo non existente, subd.: quia deest fundamentum possibilium — conc.; quia existentia Dei includitur in conceptu formali possibilis — nego.)

Thesis XI: Possibilia non dependent a cognitione nostra.

(*St. qu.* 1^o Licet possible aliquo modo in intellectu existant, haec tamen existentia est mere idealis et extrinseca. Neque ideo possible a mente nostra pendent, quia novas ideas formare possumus factitias, quae res possible expriment; neque enim arbitrarie notas componere possumus ad ideas formandas, sed supponitur earum sociabilitas a nostra mente prorsus independens; unde quaeritur, quae sit ratio proxima et remota huius notarum sociabilitatis vel insociabilitatis.

2^o Adversantur nobis in hac thesi omnes *Nominalistae, Idealistae, Sceptici, Subiectivistae* statuentes omnem cognitionem nostram esse subiectivam, ac proinde dependere a subiectiva dispositione vel natura intellectus nostri.

Prob. 1. Ex natura intellectus: Intellectus supponit, non facit obiectum suum; secus nulla esset veritas obiectiva, eadem pro omnibus, invariabilis, certa. *Atqui* si possible dependerent a cognitione nostra, intellectus intelligendo faceret suum obiectum, quod potissimum est possible; nam quod a mente dependet, ante eius operationem nondum esse potest. *Ergo* possible non dependent a nostra cognitione.)

2. *Ex origine cognitionis nostrae:* Cognitionis nostra incipit a sensibus, sensus autem non referunt, nisi res existentes. *Atqui* possible praecedunt rerum existentiam eiusque sunt conditio necessaria. *Ergo* possible etiam praecedunt nostram cognitionem.

(3. *Ex conscientia:* Conscientia testatur, veritatem obiectivam etiam in rebus possibilibus nullo modo a nobis dependere: non ideo quidquam verum esse, quia nos intelligimus; sed nos aliquid intelligere, quia verum est. Testatur, nos ita a veritate dependere, ut assensus noster extorqueatur, neque posse nos unquam veritatem mutare, ita ut $2 + 2 = 5$. *Atqui* testimonium conscientiae nihil est nisi ipse actus cognitionis eo modo, quo in nobis hic et nunc praesens est et a veritate evidente ipsa determinatur. *Ergo* possible non pendent a nostra cognitione.

4. *Ex absurdis:* Si possible penderent a nostra cognitione: a) non esset veritas obiectiva, certa, eadem pro omnibus; sed pote-

terit, quod nunc verum est, falsum fieri et vice versa, si intellectus noster aliter se habuerit novamque induerit dispositionem. *Atqui* tunc actum est de omni certitudine et de vera scientia; intellectus individuus fieret mensura et causa omnis veritatis; scepticismus universalis induceretur.

b) Non iam possent praedicata universalitatis, necessitatis, aeternitatis veritati tribui; nam quidquid mens subiectiva, contingens, individua producit, non potest esse quidquam aeternum, universale, necessarium pro omnibus hominibus, omni tempore et loco. *Ergo* possible non dependent a nostra cognitione.

Obi. 1. Possible pendent ab intellectu, quia in solo intellectu existunt; dist.: formaliter extrinsecus — conc.; formaliter intrinsecus — nego.

2. *Atqui* formaliter et intrinsecus in solo intellectu sunt, quia ab ipso constituuntur e. g. ideis factitiis; dist.: in ordine ideali — conc.; in ordine metaphysico quoad notarum sociabilitatem — nego.

3. *Atqui* etiam in ordine metaphysico; nam si nullus esset intellectus, nulla essent possible; dist.: si nullus esset intellectus creatus — nego; si nullus esset intellectus divinus, subd.: *realiter* non essent possible, quia per intellectum in ordine metaphysico constituuntur — nego; *consequenter* non essent, quia tunc etiam divina essentia, fundamentum possibilium, deficeret et quia carerent existentia formali, sed ideali in mente divina — conc.)

*Thesis XII: Possibilia non dependent a divina potentia.*¹⁾

(*St. qu.* 1^o Potentia divina hoc loco *formaliter* est intelligenda, quatenus ratione distinguitur tum ab aliis divinis perfectionibus, tum ab ipsa divina essentia; si enim materialiter spectatur, sicut existit in Deo, idem est cum divina essentia. Neque hic possibilitas rerum extrinseca intenditur, quae certe pendet a divina potentia, sed intrinseca.

2^o *Occam* cum quibusdam nominalistis rerum possibilitatem a Dei potentia dependentem facit, non quasi Deus eam efficeret, sed quia, ut nominalistae, negligebant rerum intrinsecam possibilitatem. Similem sententiam *Scotus Eriugena* proponebat sequens Neoplatonicos, Deum ab aeterno rerum ideas creasse statuens, neque multum differunt Schopenhauer et E. v. Hartmann, qui absolutam illam voluntatem ideas rerum ex se producere vel propellere docent.

Prob. 1. Ex natura potentiae divinae: Potentia divina supponit obiectum producendum iam in divino intellectu praeeexistens; divinus vero intellectus iterum supponit obiectum cognitionis. *Ergo* a fortiori divina potentia non facit, sed supponit obiectum producendum.

¹⁾ Cfr. S. Thomam apud Alamannum. III, qu. 6.

2. *Ex obiecto divinae potentiae*: Obiectum divinae potentiae sunt res contingentes, existentes, quae libere a Deo creantur. *Atqui* possibilia non existunt physice, sunt aeterna, necessaria, immutabilia. *Ergo* non possunt esse obiectum divinae potentiae.)

3. *Ex infinitate divinae potentiae*: Divina potentia est infinita, i. e. nullis limitibus circumscripta; quidquid vult, potest facere. *Atqui* si possibilia dependerent a divina potentia, limitata esset, quia multa sunt impossibilia sive intrinsecus, sive extrinsecus (impossibilitas simultaneitatis); et ex sententia adversariorum non essent impossibilia defectu termini producendi, sed defectu Deo ipsi immanenti. *Ergo* possibilia non dependent a divina potentia.

4. *Ex nostra possibilium cognitione*: Si possibilitas rerum vel impossibilitas dependeret a divina voluntate, ad illam cognoscendam deberemus ad Dei voluntatem confugere. *Atqui* a) constat testimonio conscientiae, nos nequaquam ad Dei voluntatem intuendam recurrere, sed ad rem in se considerandam; b) tunc requiretur Dei revelatio vel immediata Dei intuitio ad possibile vel impossibile cognoscendum, quae tamen revelatio non existit. *Ergo* possibilitas rerum intrinseca non pendet a Dei potentia.

(5. *Ex absurdis*: Si possibile dependeret a divina potentia, nil iam intrinsecus impossibile esset, ac proinde non repugnaret $2 + 2 = 5$. *Atqui* hoc absurdum est, et contradicit conscientiae nostrae ac persuasioni hominum. *Ergo* possibilia non pendent a divina potentia.

Obi. 1. Possibile est, quod potest fieri, i. e. a potentia divina; dist.: formaliter, i. e. quoad intrinsecam rationem — nego; quoad existentiam — conc.

2. *Atqui* etiam formaliter debet fieri a divina potentia; alias Deus non totam rem produceret; dist.: physice non totam rem produceret — nego; metaphysice, subd.: formaliter non produceret — conc.; ratio formalis possibilis nullo modo a Deo penderet — nego.

3. *Atqui* etiam metaphysice et formaliter debet producere; secus divina potentia supponeret potentiam sive materiam subiectivam praeiacentem; dist.: potentiam supponeret subiectivam, physicam — nego; potentiam obiectivam, subd.: fundatam in divina essentia — conc.; a Deo independentem — nego.

4. *Atqui* repugnat etiam potentia obiectiva praecedens divinam potentiam; nam tunc Deus non esset omnipotens, dist.: quoad possibilia facienda — nego; quoad impossibilia facienda; subd.: defectu potentiae — nego; defectu termini — conc.; sed nego suppositum, nihil absolutum posse fieri.

5. *Atqui* nescimus, quousque Dei potentia se extendat, ac proinde quid sit impossibile; dist.: nescimus positive — conc.; negative — nego; saepe enim scimus certo, Deum quidquam facere non posse, quia repugnat.)

Thesis XIII: Possibilia non dependent a divina libera voluntate.

(*St. qu.* Haec sententia intime cohaeret cum priore, et posset iisdem fere argumentis probari, quum Dei potentia respondeat per-

fecte divinae voluntati liberae. Videtur autem haec thesis per se probanda, quia *Cartesius* eiusque discipuli censebant, possibilia pendere ex Dei libera voluntate: „Non ideo voluit Deus . . . e. g. tres angulos trianguli aequales esse duobus rectis, quia cognovit aliter fieri non posse, sed contra . . . quia voluit tres angulos trianguli necessario aequales esse duobus rectis, idcirco iam hoc verum est et fieri aliter non potest atque ita de reliquis“ (In respons. ad 6, obi. 6 et 8.)

Prob. 1. *Ex natura divinae voluntatis*: a) Divina voluntas supponit divinum intellectum eiusque obiectum, ut habeat obiectum et modo convenienti ad hoc obiectum extendatur. *Atqui* obiectum intellectus divini sunt etiam possibilia. *Ergo* possibilia iam supponuntur a divina voluntate.

(b) Si Deus discrimen statuebat inter possibilia et impossibilia libera sua voluntate, ratio huius discriminis aut erat praeter Dei voluntatem, aut nulla aderat. Si primum, discrimen inter possibilia et impossibilia praecedat Dei voluntatem ac proinde non pendet ab ea; sin alterum, Deus sine ratione sufficiente egisset, quod repugnat. *Ergo* . . .

2. *Ex libertate divina*: Divina voluntas est prorsus libera ad extra. *Atqui* si possibilitas et consequenter etiam rerum impossibilitas ex divina voluntate esset repetenda, Deus non esset liber: a) quoad possibilia, quia necessaria sunt, aeterna et immutabilia, ut conscientia nostra veritatis et persuasio hominum docet; b) neque quoad impossibilia, quia testante eadem conscientia nostra et consensu hominum multa non ratione divinae voluntatis, sed vel intrinsecus sunt impossibilia, e. g. Deum non esse, partem aequare totum, vel extrinsecus, e. g. Petrum simul vivum et mortuum esse¹⁾; c) neque nos possibilia vel impossibilia cognoscere possemus, nisi haberemus intuitionem divinae voluntatis liberae, vel fieret revelatio divina, quod est absurdum.²⁾ *Ergo* possibilia non pendent a divina libera voluntate.

3. *Ex absurdis*: Sententia Cartesii destruit: a) omnem certam veritatem ac proinde veram scientiam; posset enim, si Deus vellet, quod hodie vel hic verum est, cras vel alibi falsum esse; b) destruit rationem boni; nam Deum colere, sibi obtemperare etc., posset nunc bonum, nunc malum, immo, si Deus vellet, simul bonum et malum esse, siquidem tota ratio bonitatis ab eius voluntate libera dependeret. — Neque de principio contradictionis iam constaret.

¹⁾ Cfr. S. Thom. Quaest. disp. de pot. q. 1; a. 3. ²⁾ Kleutgen, Philos. der Vorzeit, n. 316—317.

Neve dicas, Deum sapientem, iustum, sanctum non mutare rationem veri et boni ab ipso constitutam; nam 1^o potest eodem modo ab aeterno statuere, ut verum cras falsum, bonum malum sit, quo statuit, ut ordo mundi incipiat et tandem desinat, quo miracula facit; 2^o non potest in illa sententia probari, Deum sapientem, iustum, sanctum leges metaphysicas ab ipso statutas non esse mutaturum; nam aut ratio divinis perfectionibus intrinseca adducitur, et tunc admittitur, esse aliquid intrinsecus impossibile; aut ratio extrinseca adducitur, et haec sola esset divina voluntas; sed tunc supponitur, quod est probandum. Ergoabilia non pendent a divina voluntate libera. 3^o Etiam si Deus discrimen statuisset, nos illud scire non possemus: non ex intuitione vel revelatione divina, quia non est; non ex perceptione rerum existentium, quia non sunt ratio rerum possibilitatis; non ex intrinseca rerum possibilitate, quia ab adversariis non admittitur.

Obi. 1. Deus est liber ad extra facere, quidquid vult, dist.: intrinsecus possibile — conc.; in se impossibile — nego.

2. Atqui etiam intrinseca possibilitas pendet a Dei libera voluntate, quia metaphysice repugnat, quidquam existere, quod ipse non voluerit, dist.: repugnat propter intrinsecam rei impossibilitatem — nego; propter defectum causae extrinsecae — conc.

3. Atqui nisi intrinsecus repugnaret, Deus creando non esset liber, dist.: in ordine physico — nego; in ordine metaphysico, subd.: si Deus ab aliqua re sibi extrinseca dependeret — conc.; cum possibilitas tota fundetur in Dei essentia — nego.)

Thesis XIV: Rerum intrinseca possibilitas non pendet a divino intellectu.

(*St. qu.* 1^o Quum omnia, quae existunt vel existere possunt, a Deo cognoscantur et quidem ab aeterno, patetabilia aliquo modo in Dei intellectu existere ab aeterno et quidem secundum rationem suam formalem, si quidem ideae divinae sunt rerum exemplaria. Sed haec existentia possibilium in intellectu divino non est subiectiva ipsis intrinseca, sed idealis et extrinseca, neque secundum formalem rationem ipsis intrinsecam existuntabilia in divino intellectu, sed secundum rationem formalem extrinsecam, sicut opera artis in mente artificis.

2^o *Ontologistae* nonnulli, ut Malebranche, putabant, nos res non percipere, nisi in divinis ideis, unde earum possibilitas dependeret.)

Prob. 1. *Ex natura intellectus:* Intellectus non facit, sed supponit suum obiectum formale quod. Atquiabilia sunt obiectum formale quod divini intellectus; sunt enim terminus secundarius divinae cognitionis. Ergo supponuntur a divino intellectu.

2. *Ex modo cognitionis divinae:* Divinus intellectus necessario supponit divinam essentiam, quae est eius obiectum primum et ratio determinans. Atquiabilia necessario sequuntur divinam

essentiam tanquam eius imitationes posibles. Ergoabilia tanquam obiectum secundarium divinae cognitionis eam ratione praecedunt, sicut divina essentia.

(3. *Ex modo cognitionis nostrae:* Si ratio intrinseca rerum possibilitatis vel impossibilitatis dependeret ab intellectu divino, deberemus ad eum recurrere, ut possimus decernere, quae res sit possibile, quae impossibile. Atqui a) conscientia nostra testatur, nos non ad intellectum divinum, sed ad rei ipsius naturam recurrere; b) tunc deberet nobis esse vel intuitio divini intellectus vel revelatio divina, quod factis repugnat et experientiae. Ergo rerum possibilitas intrinseca non dependet a divino intellectu.

Obi. 1. Possibilia habent esse aliquid. Atqui non habent esse in se. Ergo saltem in divino intellectu; dist.: esse physicum seu metaphysicum — nego; esse ideale et extrinsecum — conc.

2. Atqui tunc intellectus dependeret ab obiecto Deo extrinseco, dist.: ab obiecto Deo physice extrinseco — nego; metaphysice extrinseco, subd.: intrinsecus formaliter a Deo distincto — conc.; non necessario in Deo fundato ab eoque independente — nego.

3. Atqui intellectus saltem ab obiecto a Deo distincto deberet ad cognitionem determinari, dist.: divinus intellectus debet terminari in obiectum a Deo distinctum — conc.; determinari, subd.: siabilia non essent necessario imitationes divinae essentiae — trans.; alias — nego.

Retorqueo: Deus cognoscit etiam res existentes; ergo hae quoque, si ratio adducta probaret, vel non cognoscerentur a Deo, vel deberent quoad rationem formalem intrinsecam per Dei intellectum constitui.)

III. Vera sententia.

Thesis XV: Possibilia non sunt nihil, sed sunt aliquid reale et positivum in ordine metaphysico; constituuntur formaliter intrinsecus suis essentiis: possibile concretum realitate sua metaphysica, possibile abstractum notarum sociabilitate.

(*St. qu.* 1^o Vidimusabilia non esse quidquam actuale, existens sive in se sive in Deo, neque in mera consistere relatione i. e. non habere solum in mente cognoscente formalem existentiam subiectivam seu idealem. Quaeritur igitur, quid tandem in se sint, utrum sint nihil essentiae an aliquid. Semper agitur de ratione formali possibile concrete et abstracte sumpti.

2^o Nihil potest esse: positivum, i. e. nihil existentiae, et absolutum, i. e. nihil essentiae. Iam vero ostendimus, possibile esse nihil positive; unde in thesi non affirmamus, nisi possibile non esse absolute nihil, seu affirmamus, esse aliquid in ratione essentiae positive, realis. Itaque non confundendum est cum ente rationis non fundato, i. e. mere fictitio, neque cum ente rationis fundato vel negativo vel privativo vel relativo (Cfr. supra pag. 391).